

*Doc. 27 (Scriptum est eidem
iustitiario Basilicate etc.
Dudum Everardo Chinardo...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 27 (Scriptum est eidem
iustitiario Basilicate etc.
Dudum Everardo Chinardo...)*

1293-02-23

Scriptum est eidem iustitiario (Basilicate) etc.

Dudum Everardo Chinardo militi tuo in eodem officio precessori et erario deputato cum eo per nostras litteras scripsisse recolimus in hec verba. Karolus primogenitus illustris Ierusalem et Sicilie regis Dei gratia rex Ungarie princeps salernitanus nobili viro Everardo Chinardo militi iustitiario Basilicate et erario deputato cum eo devotis suis etc.: devotioni vestre precipimus quatenus Raynaldo de dominico Petro de Iohanne, Petro de Biasio et Dominico de Iohanne de cisidio de Villa Sorani, quos ad occidendum lupos cum pulvere in forestis Sancti Gervasii et Lacus pensulis et extra forestas predictas in quibus fuerit oportuno ad maiorem conservationem, tam animalium araciarum curie, quam etiam privatorum sumentium pascua in forestis predictis pro parte curie providimus deputandos, gagia statuta per curiam ad rationem videlicet de tarenis auri septem et granis decem ponderis generalis pro quolibet ipsorum per mensem ex nunc in antea, donec in dictis servitiis curie moram trahent, de quacunque fiscali pecunia et in ipsius defectu de pecunia generalis subventionis pro presenti anno sexte indictionis terris et locis iustitariatus Basilicate per curiam imposita et tibi iustitiario ad recolligendum commissa, que est vel erit per manus vestras, absque defectu quolibet exolvatis. Recepturi de hiis que presentium auctoritate dederitis apodixam ydoneam ad cautelam, mandato nostro huic contrario vobis facto, de tota pecunia subventionis ipsius mittenda et assignanda, pro parte curie venerabili patri domino G[ilberto] Caputaquensi episcopo magne regie curie magistro rationali et Guidoni de Almania militi, super recipienda et expendenda fiscali pecunia

regni per dominum patrem nostrum, statuto aliquatenus non obstante, deductis de gagiis ipsis, per vos dictis lupariis presentium auctoritate solvendis, unciis auri duabus, quas eis ad presens per eundem Caputaquensem episcopum de fiscali pecunia existente per manus suas pro duobus mensibus ad rationem predictam fecimus exhiberi. Datum Neapoli anno domini MCCXCII die XVIII decembris sexte indictionis. Regni nostri anno primo. Verum quia idem processor tuus prius fuit a predicto iustitiariatus amotus officio quam dictas litteras nostras exequi potuisset, sicut per ipsarum resignationem curie nostre constitit, quas mandavimus lacerari, quare devotioni tue districte precipimus, quatenus forma predictarum litterarum nostrarum eidem precessori tuo ut premittitur directarum diligenter attenda et in omnibus observata, litteras ipsas tamquam si tibi directa fuissent in omnibus et per omnia efficaciter exequaris.

Datum Brundusii die XXIII februarii VI indictionis regni nostri anno primo (1293)